



EXERCITATIO

De

Sacri Romano-Germanici Imperii

M A T R I C U L A

Von des Heil. Römischen Reichs Matricul/

T H E S. I.

Matriculæ nomen à matrice est, quæ vox, quàm varia denotaverit olim, post Lexicographos, monuit jam Reinkingius *de Regimin. Secul. & Eccles. lib. 1. class. 4. c. 1. n. 6.* Et reliquæ quidem instituto nostro idoneæ non sunt, si excipiamus illam, qua Matrices libelli dicuntur, in quibus Cæsareo Fisco pensantes descripti continebantur. Budæus *ad l. 1. de edendo, & ex eo Gaius lib. 1. pract. observ. observ. 21. n. 3.* Indè matricula, quam pro Catalogo, descriptione, Indice usurpari etiam in jure nostro non infrequens, vid. saltem *l. 3. C. de agent. in reb. l. pen. in fin. & ult. C. de comœatu.* Hinc libri, in quos militum nomina describebantur, Matriculæ militares, *d. l. pen. C. de comœat. l. 16. C. de testam. milit.* perinde ut illas, in quibus Advocatorum nomina annotabantur, matriculas appellari, mos erat, *l. 13. C. de advocat. divers. judic. & cohortalium matriculæ eo sensu mentio est in l. 10. C. de cohortal.* In Glossis Basilicorum editis à Fabrotto, est *Ματρίκιον ἢ ἀναγραφὴ τῶν στρατιωτῶν:* Matricula, descriptio seu Index militum. Vide Vossium *de vitii sermonis & glossematibus Barbaris lib. 3. c. 24. p. 517.*

II. Quæ nostris matricula est, ea vel certe similis designatio, Augustini Imperatoris ævo Breviarium Imperii, dicta videtur. In eam